



Vita Et Doctrina Christi Domini

More, Henry

Antverpiae, 1649

XII. Testimonium Ioannis de Christo. Ioan. 1. 19.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56545](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56545)

308 DOCTRINA ET MIRACULA

delebili caractere, & omnimodè definitum, ¹ Dominum ² Deum ³ tuum ⁴ adorabis, & illi ⁵ soli ⁶ seruias.

3. Tunc reliquit eum diabolus, & ecce Angeli accesserunt & ministrabāt ei. Consummata omni tentatione, inquit Lucas, diabolus recessit ab illo usque ad tempus. Ut quem neque gulæ intemperantia, nec vanitatis aura, nec mundi inanis splendor aut imperium de gradu dimouerant, calumniis aggredieretur & tormentis. "Hoc nos volens esse præmonitos neminem super terram absque tentatione victurum.) Sed qui de se non præsumit, Angelos habebit coadiutores & ministros. Adora Dominum inter Angelos confidentem, contemplare parcam mensam; tales ieiunium & oratio, non gula, & vanitas socios conciliat.

Bern. ser. 5.
qui habitat.

XII.

Testimonium Ioannis de Christo.

Ioan. 1. 19.

Domin. 3.
Aduentus.

1. **H**oc est ¹ testimoniū Ioannis, quando miserunt Iudæi ab Hierosolymis sacer-

sacerdotes, & Leuitas ad eum, ut interro-
garent eum, Tu quis es? & confessus est
quia non sum ego Christus." A te tua con- Bern. 2. de
sideratio inchoet, ne frustra extendaris Consider.
in alia te neglecta.) "Hoc enim fidelis Chrys. &
serui officium est, non solum Domini Greg. apud
sui gloriam non aucupari, sed & à mul- Cornel.
titudine tributum propulsare.) " Et so-
lidè subsistere in se, non humana opi-
nione rapi inaniter super se)

2. Et interrogauerunt eum, quid ergo?
Elias es tu? & dixit, non sum: Propheta es
tu? & Respondit, non. " Respondit quod Aug. ser. 23.
non erat, ut maneret quod erat. Inde de Sanctis.
quippe Adam lapsus perdidit quod erat,
quia quod non erat usurpauit) Dixerunt
ergo ei, quis es? ut responsum demus his qui
miserunt nos, quid dicis de teipso? Difficilis
per affirmatiua responsio; nisi vno ver-
bo dicas, nihil, sic Ioannes paucis, Ego
vox clamantis." Vox sonus est, index co- Aug. f. 20.
gitationis, vehiculum verbi) Vox cla-
mantis, " ut vox aures penetret, clamor
corda concutiat; vox regnum prædicet,
clamor iudicium comminetur.) Ambr.

3. Quid ergo baptizas si tu non es Chri-
stus, &c. Respondit, Ego baptizo in aqua:
O 5 medius

310 DOCTRINA ET MIRACULA

medius² autem vestrum stetit, quem vos³ nescitis, ipse est qui post⁴ me venturus est, qui ante me factus est, cuius non⁶ sum dignus ut solvam eius corrigiam calceamenti, scilicet, quando nos cum mundo isto transierimus, Christus stat & manet in æternum: infelices, qui hunc prætereuntes, duces esse volunt, & non sectatores Christi: lex enim est firma & constans, qui post veniunt, fient antè; & qui se humiliat exaltabitur, & è contra. Quid verò te ingeris, si tui officij rationem non potes reddere? si talis non sis vitâ Christianâ, qualem Christus requirit, quid baptizas? quid Euangelizas, &c.

XIII.

*Testimonium aliud Ioannis de Christo.
Ioan. 1. 29.*

*In octava
Epiphania.*

*Thom. 2.
Kemp. l. 2.
c. 8.*

1. **A**lterâ die¹ vidit Ioannes² IESVM³ venientem ad⁴ se, & ait, Ecce⁵ Agnus Dei, ecce qui tollit⁶ peccata mundi.⁷ Quando IESVS adest, totum bonum est, nec quidquam difficile videtur, quando verò IESVS non adest, totum durum.